DE COGNOSCENDA
CAVENDA ET CURANDA
PESTE

REBUSQUE OMNIBUS PUBLICAE SANITATIS
ADMINISTRATIONI SPECTANTIBUS

AENEIS TABULIS ADNEXIS

AUCTORE

ANGELO FRARI

Avertere a populo pestem
SENECA.



MATVRANDVM

VERONAE
TYPIS SOCIETATIS TYPOGRAPHICAE
ANNO MDCCCXXII.

Editio Privilegiata

LECTORI

SOCIETAS TYPOGRAPHICA VERONENSIS

Humana mens, intelligendi sciendique percupida, ab omni retro saeculo vel gravissimis incubuit studiis laboribusque, ut varia mundi physici phoenomena investigaret, latentesque rerum naturalium rationes ordinemque detegeret: neque id satis; semetipsam undique totam ipsa sibi considerandam proposuit. Plerumque tamen sive nimio gloriae ardore aestuans, sive privatis rationibus inserviens, non veras ideas, utilesque notiones, verum saepius e suismet studiis curisque sibi peperit errores.

Itaque dum humana Ratio multiplicum variorumque systematum vortice involuta, privatisque haud raro obruta cupiditatibus, veritatis quaerendae causa, per immensa orbis spatia vagabatur; dum sedulo mutuum astrorum commercium, legesque quibus continentur inquirebantur; dum occulti phoenomenis explicatio insomnium pallentium chartis virorum mentes exagitabat; dum labor omnis ac cura in novis

maribus ac terris detegendis, in novis metallis ex ima tellure educendis; in illustrandis veterum monumentis, in innumera vegetabilium atque animalium familia distribuenda, describendaque, in originem populorum, linguarum, aliorumque hujusmodi indaganda; dum de juris fundamentis, deque hominum muneribus difficillima quaestio agebatur, nemo de salutis scientia pari ardore solicitus extitit, atque Ars servandi homines a teterrimis malis quibus ipsi affliguntur miserrime languebat. Immo perinde ac si magnitudo, nobilitas, atque divitiae regionum ex incolarum frequentia potissimum non penderent, horum imminutionis causae minime qua par erat attentione observabantur.

Interim quotiescumque luctuosa malorum quibus humanum genus afflictatur, series, multaeque dolori ac morti patentes animadvertuntur viae, tum acerbarum cupiditatum cor hominis dilaniantium multitudine, tum asperrimis vitae curriculo obvenientibus vicissitudinibus, et morborum quibus ille subjicitur ingenti caterva memoriam subeuntibus, facillime patet, nihil esse Peste terribilius, nihil miserius, magis letāle nihil. Pestis siquidem uno nomine Europa omnis de repente intremiscit: teterrimos illius effectus intuentibus horror ingruit

atque terror: et quantum miseriae quantamque illa afferat vastationem ii solummodo sibi possunt effingere, qui tantae cladis oculati testes fuere. Evolvantur cujusque temporis monumenta, perlegantur si fieri potest absque ullo animi motu, innumerae Pestis caedes, profunda illius vulnera, et miserrimae diuturnaeque in Urbibus Regionibusque vastatis reliquiae. Quaevis descriptio accurata licet, longissime semper a veritate distabit.

Itaque officiorum omnium quae valeat quaelibet scientia in humanum genus conferre, illud certe praestantissimum utilissimumque habendum erit, quo quis diligentiora de hac re praebeat documenta, quibus a teterrimo omnium morbo incolume servetur Imperium. Nam nisi ineuntibus humani generis detrimenti caedisque causis valida non afferantur impedimenta, salute publica tali pacto periclitante, nec felicitas, nec divitiae, nec vires in regionibus sperandae sunt.

Quam ob rem Magistratus ac Imperia, quibus ingens felicitatis salutisque publicae committitur cura, quorumque munus defendere, tueri, ac prosperare populos est, eos potissimum grato animo prosequi debent, magnisque afficere honoribus, qui studia omnia laboresque

suos physicae populorum prosperitatis scientiae impenderunt, quique strenue ne dicam audacter, quaecumque se se ipsis occurrére pericula obierint, ut necessarias ad pestem cavendam notiones adpiscerentur, ipsisque caeteros imbuerent, ne segnius quam par sit, auctoritas, consiliumque contra vim morbi adhibeatur; atque exinde ut iis quibus vis omnis est et potestas ante oculos ponerent tum altissimum illum abyssum, quo tanta publicae prosperitatis Imperiique magnitudinis pars absumi minitatur, tum necessitatem summam avertendi sedulo hostem, qui ubique repens, tristibus praesertim pauperum domibus, interque utiliorem hominum turbam, cadaverum glomerat acervos, et repente urbes regionesque laetas ac florentes in desertos sterilesque locos convertit, unde nihil aliud quam gemitus, querimoniae, et desperatae miserrimaeque voces exaudiuntur.

Innumera quidem de Peste habentur Opera: multa de publicae Sanitatis administratione; eorumque nonnulla a Scriptoribus merito concelebrata. Verum alia et quidem plurima singulares Pestium historias casusque sejunctos referunt; alia de peculiaribus Sanitatis regulis disserunt; alia haud penitus rem omnem attingunt; alia denique mancas tantum ideas no-

tionesque in medium afferunt, quin immo vero persaepe falsis implicantur doctrinis. Deest itaque integrum atque ex omni parte absolutum de Peste Opus, deque variis pestium generibus, quod argumentum latius ut decet complectatur, quod doctrinam minus dubiam, ac experientiae, observationibus, rationi, universoque consensui innixam praeseferat, quod claras et majori publicae utilitati prospicientes notiones tradat, quod uno verbo omnibus medicis, *Sanitariis*, atque politicis desideriis satisfaciat.

Doctor Angelus Frari Medicus olim Spalato, illiusque Laemocomii rector ab anno 1812 usque ad 1822, quo tempore Veronam petiit, ubi Augusti Caesaris clementia Medicus Delegationis fuerat constitutus, cum forte Dalmatia patria sua, annis 1814, 15, 16, 17, media in Peste versari debuisset, et in Turcarum Imperio quoque Pestem observasset, illius fines pluries rei *Sanitariae* causa percurrens; cum ab I. ac R. patriae Provinciae generali Gubernio difficilioribus muneribus missionibusque honestatus fuerit, in quibus semper clara superioris gratiae signa promeruit; cum denique apud ipsum Gubernium Archiatri vices ad tempus gessisset, opportunas hasce occasiones amplexus

est, magnam observationum factorumque seriem de hac re collegit, atque Opus de Peste et de publicae Sanitatis administratione perfecit, quod modo communis boni desiderio, et suis similibus aliquo modo consulendi spe ductus publici juris facere constituit.

Hoc itaque Opus in praesens enuntiamus. Quale sit et quid ipsum valeat dicere nos minime decet. Hoc lectorum est, quibus certe non effugient nec bona Auctoris voluntas, nec ingentes labores queis Opus ipsum stĕtit. Sat interim erit Operis partitionem, Argumenta evoluta, et acquirentium Societatis conditiones exponere.

Opus igitur quatuor voluminibus constabit, quorum primo proximo mense Julii, alterum subeunte Octobre, tertium et quartum subsequentibus anni 1824 mensibus evulgabuntur.

Volumen I. exhibebit

1.° Bibliographiam Pestis; idest Catalogum per Alphabetum Operum de Peste, et de publicae Sanitatis administratione, sermone Latino, Italo, Germano, Gallo, Anglo, aliisque conscriptorum, variis adnotatis editionibus. Bibliographia Tractatus quoque continebit qui partes sunt Operum de rebus aliis disserentium, illos

etiam qui in Actis Academiarum et in magnis Collectionibus reperiuntur; et proferentur editiones, volumina, atque paginae. Addentur insuper vel breves generales monitus lectoribus de meritis et dignitate eorumdem Operum atque Tractatuum.

2.° Breves et pro temporum ordine refertas historicas notiones de memorabilibus celebrioribusque Pestilentiis, quae humanum genus afflixerunt, ab illa nempe quae anno mundi 2443 Æthiopiam vastavit usque ad nos; facta memoria dignissima, narrationes, graviores disertioresque descriptiones, quidquid tandem ad eruditionem de Pestis argumento propius spectat.

In Volumine II exponentur

1.° Historia Pestis, quae Dalmatiae saeviit annis 1815, 1816, 1817, singularibus monitis a tristissimo illo eventu deductis, alienaeque utilitati servientibus, et exacta disciplinarum legumque illo tempore utilium expositione illustrata: adjecta etiam brevi narratione teterrimae Pestilentiae Bosniae in Turcarum Imperio anno 1815 grassantis.

2.° Permultae observationes practicae et ad Politiam *Sanitariam* spectantes, Peste saeviente

institutae, et in monitus atque Aphorismos ex experientia factisque deductos redactae.

3.° Propositio Institutionum et disciplinarum; nec non expositio auxiliorum, quae contagionis tempore a Principibus, Magistratibusque conferenda sunt.

4.° Politia Sanitatis privatae, sive cautiones ab unaquaque familia ac singulo homine habendae ad cavendam infectionem.

5.° Quid de usu externo et interno olei, aliarumque pinguium substantiarum, deque horum omnium efficacia in cavenda curandaque peste sentiendum.

Appendix. Narratio Pestis, quae anno 1818 in Venetiarum Laemocomio prodiit.

Volumen III.

De publicae Sanitatis administratione singillatim disseret:

1.° Leges Sanitatis maritimae.

2.° Ordines generales.

3.° Acceptio navium.

4.° Politia *Sanitaria* portuum.

5.° Maritimorum Consulum officia.

6.° In contagionis suspicione expurgationes, sive *Contumaciae*.

7.° Laemocomia maritima.

8.° Exoneratio mercium.

9.° Naves suspectae.

10.° Naves infectae.

11.° Expurgationes Mercium et Navium.

12.° De Naufragiis et rebus a mare projectis.

13.° De vallis, sive lineis *Sanitariis* sub maritimis oris.

14.° De iisdem in regionibus.

15.° Laemocomia, mercatusque finitimi.

16.° De aliis Politiae *Sanitariae* auxiliis ad cavendam proximae regionis infectae contagionem.

17.° De Pestis recognitione, deque rebus hoc in casu servandis.

18.° De generalibus peculiaribusque segregationibus.

19.° De generalibus peculiaribusque expurgationibus.

20.° Laemocomia interiora, Custodiae, Nosocomia, aut Valetudinaria.

21.° De aliis ad Pestem coercendam rationibus in urbe aut regione infecta, et de efficacioribus ad illam extinguendam modis.

22.° De contagionis effectibus in iis qui supersunt, deque opportunis remediis.

23.° Errores populares, Abusus, ordinum perturbationes; hisque obveniendi rationes.

24.° Quid contra prevaricationes in officium Sanitatis agendum. Leges propositae.

25.° *Normales* institutiones de muneribus mandatisque, quae contagione saeviente aut minitante omnibus incumbunt, a valli nempe *Sanitarii* custodibus usque ad primi Regionis Magistratus *Sanitarii* Pressidem.

26.° Delineatio variorum utensilium, instrumentorum et machinarum, quae ad propositas Politiae *Sanitariae* leges contagione saeviente servandas necessariae sunt. Quomodo de illis omnibus utendum.

27.° Archetypa relationum ex Officio. Tabellae variae.

In Volumine IV reperientur

1.° Historicae de Pestis origine disquisitiones.

2.° Descriptio Pestis, sive Symptomatologia. Signa indicantia. Signa dubia, etc.

3.° De bubonibus, de carbunculis, de exhantemathibus pestilentibus in specie.

4.° Symptomata secundaria.

5.° Exceptiones et compositiones.

6.° De morbis similibus, quibus Pestis referri potest.

7.° De morbi natura, ejusque indole adnotationes.

8.° De Pestis contagio, deque suis qualitatibus. Animadversiones generales in contagia. Animadversiones singulares et comparativae.

9.° Quae diffusioni pestis faveant, quaeque ad illam arcendam valeant.

10.° Sectio Cadaverum infectorum.

11.° De Prognosi.

12.° De Pestis curatione.

13.° De curatione quorumdam symptomatum, quae singularem medelam requirunt.

14.° Regulae a convalescentibus ex morbo servandae.

15.° Solutio quarumdam curiosarum de Peste quaestionum.

16.° Conclusio.

17.° Delineatio vultus et corporis hominis Peste correpti pro variis morbi gradibus; nec non cadaveris hominis Peste absumpti.

Appendix. De Commercio Dalmatiae cum Turcarum Imperio.

Is Operis ordo est, quod imprimatur charta optima, typis novissimis, et octavi forma majori: plagulis 25 ad 30 pro unoquoque volumine.

Sociis adquirentibus praetium pro unaquaque impressa plagula statuitur ad centes. 20 si charta comunis sit et ad centes. 30 si charta *velina* requiratur. Chartae vero, typorumque specimen idem esto ac hujusce prodromi. Aeneae tabulae, ligatura uti vocant, et tegmen voluminum sejunctim supputabuntur.

Societas adquirentium fiet apud primarios Italiae Bibliopolas, et apud eos qui hoc praemonitum evulgant.

Socii adquirentes in inserta conventionis tabella nomina, titulos, sedemque propriam inscribent.

Datum Veronae Idibus Novembris anno 1822.

Societas typographica.

β

Vollstdg.

f. M. B. Nr.